


/ Karl

Epigramma in nefandam necem augustissimi regis Angliae, c.,



Tryck // / 125 B II c Br. 1649 Charles I konung av England

Tillkomstår 1649.

Digitaliserad år 2019



National Library
of Sweden

[Charles I]

Hist
roy
Polit
(Pr)
1649

EPIGRAMMA

In nefandam necem

Augustissimi REGIS AN-

GLIÆ, &c.

*Qui à Coronâ vitæ hujus fluxæ ac fallacis
ad perennem & Ætheream Coronam
Gloria introit*

PER PORTAM VITÆ,

HAFNIÆ, Anno M. DC. XLIX.



L Vicquid delirant Reges plectuntur Achivi;
 Olim præcinuit sic Venusina Lyra:
 Nunc verò Reges plectuntur, quicquid Achivi
 Delirant; Sunt hæc tempora dura nimis!
 Carnificis periit Numen Regale securi!
 Enecuit Regem Gens minus *Anglica*!
 O Regis mirabile quin miserabile fatum!
 Heu caput amisit qui fuit ipse caput!
Grex eheu cædit, *Lex* cedit, cæditur & *Rex*!
 Pastorem mactant nunc truculenter oves!
 Nunc homines mactare Deos furialiter audent!
 Nunc homines audent imperitare Dijs!
 Afferuisse Deos non vis Deus Optime? Num vis
 Maxime, quæso, Deus deseruisse Deos?
 Deseruisse Deos Deus an vis Maxime? Non vis
 Optime, quæso, Deus afferuisse Deos?
 Regum Rex oculate, tuos tu protege Reges;
 Christos aut unctos affere Christe tuos.

*Homer. Odyss. τ. vers. 9. & 10.
 pag. 1806. Edit. Roman. cum
 Interpret. Eustathij An. 1550.*

Δεινὸν δὲ γένος βασιλείου
 ἐσικτείνεν

*Res dura ac plena periculi est
 Regale occidisse genus.*

AD

L
 AD
 ANGLIAM.

Anglia, quis credit subjectos tollere Regem,
 Inque uno Reges tres potuisse mori?

II.

DE

E ADEM,

FACTIONVM PARTIVMQUE
 VARIIS STUDIIS MISERE
 DIVISA IAM ET AGITATA.

Haud mirum est, in tot quæ secta est Anglia partes
 Si Regem in partes dividat illa duas.

III.

EPITAPHIVM

CAROLI
 REGIS.

Carolus hic situs est; nec tantum Carolus; isto
 Regia Majestas conditur ipsa loco.

IV.

IN

SECVRIM,

QVA REX PERCVSSVS EST.

AD

AD ANGLOS.

Securitatis finis, Angla Gens, tuæ
Securis ista est. Plura non addit metus.

V.

DE EADEM SECURI, PENDVLA ET TREMV-
LA REGIÆ CERVICI IMMINENTE,
AD LICTOREM.

Tolle manum, Lictor. Viden, ut tremat ipsa securis?
Desine, Terna istæ sceptrata tulere manus.

VI.

DE IVDICIBVS FACTIONIS
INDEPENDENTIUM.

Independentum si quæ sit factio quæris;

A quo penderet sustulit illa caput.

INAUDITO AB OMNIBVS RETRO SÆCVLIS,
MAXIMIQVE TERRORIS APVD OMNES UBI-
QVE POSTEROS FVTVRO EXEMPLO CON-
STERNATVS PROVOCATVSQVE HÆC MOE-
STISS. SCRIPSI, ET PRO FLORENTISSIMÆ
OLIM, SED NVNC MVLTO SVORVM, REGIO
ETIAM ET AVGVSTO, TOTQVE REGVM
TRADVCE SANGVINE FOEDE AC
MISERE CRVENTATÆ

GENTIS,

DESIDERATISSIMA PACE

ET

ÆTERNITATE,

V. L. M. Q.

F.

B. B. B.